

DESPONDI ENIM VOS UNI VIRO... 2 COR. 11, 2—3

„Utilissima est consideratio allegoriae Sponsae et Sponsi, quia in ea tota ecclesiologia quodammodo continetur”¹. Et re ipsa symbolismus coniugalis introducit in valde actuale problema ecclesiologiae Paulinae, in eius theologiam, mysticam et praesertim in ethicam matrimonialem S. Pauli. Profunda et accurata cognitio symbolismi matrimonialis multum affert ad bene intelligendam doctrinam Apostoli de Ecclesia tamquam Corpore Mystico.² Cum themate symbolismi matrimonialis coniungitur semper actuale problema historiae religionis nempe problema relationis doctrinae Pauli cum ideis eius temporis. Idea enim symbolismi coniugalis invenitur non solum apud S. Paulum, sed etiam in Vetere Testamento, in iudaismo, in religione graeca et mysteriis hellenisticis. Inde oritur quaestio: estne symbolismus matrimonialis S. Pauli in 2 Cor. 11, 2—3 originarius, an fortasse habet coniunctiones et dependentias a symbolismo matrimoniali sui ambientis? Duae diversae responsiones ad illam quaestionem usque hodie existunt: 1^o fons Paulini symbolismi matrimonialis V. Testamentum est: sic fere omnes catholici³ et multi ex acatholicis.⁴ Auctores hi admittunt quoque influxus traditionis synopticae et nonnulli influxus iudaismi. 2^o Iuxta secundam opinionem Paulinus symbolismus coniugalis in 2 Cor. 11, 2—3 fontem sum in hierogamia pagana et praesertim in mysteriis hellenisticis habet.⁵

¹ S. Tromp, *Corpus Christi quod est Ecclesia*, Romae 1946, t. I, p. 26. Cf. etiam K. Prümm, *Christentum als Neuheitserlebnis*, Freiburg i. B. 1939, p. 301.

² Cf. O. Casel, *Die Kirche als Braut Christi...*, „Theologie der Zeit”, 1 (1936) 93—96. P. Benoit, *L’horizon paulien de l’épître aux Ephésiens*, „Revue Biblique”, 46 (1937) 515—518. V. Warnach, *Die Kirche im Epheserbrief*, (Beiträge zur Kontroverstheologie 1), Münster i. W. 1949, p. 29.

³ Sufficit indicare nomina: Cornely, Gutjahr, Huby, Prümm, Allo, Benoit, Médebielle, Prat, Wikenhauser, Cerfaux, Bonsirven, Meinerzt, Mussner et alii.

⁴ Ex acatholicis autem: Westcott, Chavasse, Stauffer, Hanson, Masson, Strachan, Ellis, Wendland, Lenski.

⁵ Cf. J. Dieterich, *Eine Mithrasliturgie*, Leipzig 1923, p. 130 sq. H. Windisch, *Der zweite Korintherbrief*, Göttingen 1924, p. 321. A. Loisy, *Les mystères païens et les mystères chrétiens*, Paris 1934, p. 27: *le langage des épîtres, il convient de ne pas l’oublier, est empreint du même symbolisme (i. e. myster pag.) lorsque l’Apôtre parle du Christ*

Ex modernis notanda est sententia W. G. Kümmel⁶, qui ex una parte originem nostrae pericopes deducit ex V. Testamento, iudaismo et ex Evangeliiis, ex altera autem, sequendo F. Cumont,⁷ affinitatem cum symbolismo pagano admittit. Sententia ergo de influxu pagano nondum disparuit in exegesi moderna.

Scientifica investigatio symbolismi matrimonialis apud S. Paulum praesertim in 2 Cor. 11, 2—3 specialiter autem ex parte catholica non est adhuc bene evoluta. Unica monographia de symbolismo coniugali a C. Chavasse⁸ scripta in maiore parte symbolismo matrimoniali apud patres dedicata est. Noster textus vix in duobus paginis explicatur. In articulis specialibus de symbolismo matrimoniali tractantibus, qui in decursu inquisitionis citabuntur, textus 2 Cor. 11, 2—3 valde breviter tractatur et fere semper in margine symbolismi coniugalis ex epistola ad Eph. 5, 22—33. Finis huius laboris est cognoscere quantum possibile profunde theologiam symbolismi matrimonialis in 2 Cor. 11, 2—3 in toto suo contextu historico et responsum dare de origine Paulini symbolismi coniugalis in 2 epistola ad Corinthios. Ad hunc ultimum finem obtinendum comparabitur symbolismus matrimonialis S. Pauli cum toto eius ambiente.

1. SYMBOLISMUS MATRIMONIALIS IN AETATE PAULINA

S. Paulus tamquam „Hebraeus ex Hebraeo” educatus in doctrina et pietate vetero-testamentaria non solum optime novit V. Testamentum, sed etiam utebatur eo in suis epistolis. Praeter V. Testamentum, in schola Hierosolymitana, „secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternae legis” (Ac 22, 3) occa-

époux des âmes des croyants qu'il a fiancés comme des vierges chastes à l'unique mari qu'est le Christ (II Cor XI, 2). Similiter etiam E. Norden: aber hinter der symbolischen Deutung stand ein Mythos... und die Braut war... eine Göttin. Post investigationes Gunkel influxus mythologiae in symbolismum matrimoniale S. P. secundum E. Nordem est als wichtiges und gesichertes Besitztum, Die Geburt des Kindes..., Leipzig 1924, p. 69.

⁶ *Verwand ist auch die mazdäische Vorstellung von der mazdäischen Religion als Gattin Bels, Anhang ad: H. Lietzmann, An die Korinther I — II (Hdb. N. T. 9) ed. IV Tübingen 1949, p. 209. Cf. etiam H. Windisch, op. cit., p. 321.*

⁷ *Les Religions orientales dans le paganisme romain, Paris 1929, p. 275 nota 33.*

⁸ *The Bride of Christ. An enquiry into Nuptial Element in early Christianity, London 1939.*

sionem habuit cognoscendi etiam theologiam rabbinicam. Cum illa ergo doctrina imprimis debet comparari symbolismus matrimonialis Apostoli. In suis itineribus apostolicis et laboribus inter gentes potuit etiam cognoscere symbolismum hierogamiae paganae, qui debet etiam comparari cum doctrina S. Pauli.

a) In religione graeca et mysteriis hellenisticis. Idea symbolismi matrimonialis sub variis formis valde divulgata erat in religione graeca tam in ipso cultu quam in mythologia sub nomine hiéros gámos.⁹ Hierogamia habuit duas praecipuas formas nempe sacrum matrimonium inter deum et deam vel inter hominem et deum vel deam. Prima forma hiéros gámos erat valde divulgata, sed locum principalem sine dubio occupabat sacrum matrimonium Jovis — Ζεύς cum Hera.¹⁰ Haec sacra unio-secundum opinionem graecorum-erat matrimonium κατ'ἔξοχην immo etiam omnino privum, inde dii hi vocabantur πρυτάνεις τῶν γάμων.¹¹ Matrimonium illud erat supremum exemplar morale cunctorum matrimoniorum terrestrium. Hierogamia Herae cum potenti deo caelorum censebatur tamquam robur cuncti matrimonii ideo dii isti vocabantur θεοὶ γαμήλιοι.¹² De magna popularitate huius matrimonii sacri testatur cultus hierogamiae, qui erat valde divulgatus in Graecia, Asia Minore et in insulis adiacentibus praesertim in Samos.¹³ Secunda forma hierogamiae nempe unio dei vel deae cum homine nota erat in mysteriis sub forma sacri connubii mystae cum deo vel dea mysteriorum. Secundum testimonia patrum talis ritus exercebatur in cultu Sabazii Phrygici. Ritus illi erant valde obscoeni, demittebatur enim serpens aureus in sinum consecrati¹⁴. Serpens designabat ipsum deum, ritus autem sacrum

⁹ Cf. H. Graillot, *Hiéros gámos*, in *Daremborg — Saglio*, In: *Dict. des Antiquités gr. et rom.* III—1, 177—181. A. Klinz, *ἱερός γάμος* Dissert. Halle 1933. Idem, *Hiéros Gamos*, in *Pauly-Wissowa, Real-encyklopedie...*, Suppl. Bd. VI, 107—113. J. Schmid, *Heilige Brautschaft*, in *Reallexikon für Ant. und Chr.* II, 530—543.

¹⁰ Cf. S. Eitrem, *Hera*, in *Pauly-Wissowa, Real-encyklopedie...*, VIII—1, 393. M. v. Wilamowitz, *Der Glaube der Hellenen*, Berlin 1931, t. I, p. 237 sq.

¹¹ Schol. Aristoph. Thesmoph. 973. Diod. Sic. 5, 73.

¹² Cf. H. Graillot, art. cit., p. 177. M. P. Nilsson, *Geschichte der griechischen Religion*, München 1941, t. I, p. 403.

¹³ Cf. L. Deubner, *Attische Feste*, Berlin 1932, p. 177 sq. M. P. Nilsson, *Griechische Feste von religiöser Bedeutung mit Ausschluss der Attischen*, Leipzig 1906, p. 40—61.

¹⁴ Cl. Alex. Protrept. 2, 16, 2. Arnob. Adv. nat. 5, 21. Firm. Mater. De errore prof. rel. 10, 1.

connubium cum eo.¹⁵ Athenis in magnis festis dionysiatis, quae vocabantur Anthisteria nota erat etiam hierogamia. In secundo nempe die, qui nominabatur Choes, ritus principalis characteris omnino mystici erat hiéros gámos reginae (βασιλίσσα) uxoris principis (ἄρχων βασιλεύς)¹⁶ cum Dionysio, quem probabiliter repraesentabat ipse ἄρχων. Secundum credulitatem Graecorum, finis huius connubii erat impetratio benevolentiae et tutelae dei, certe in sensu fertilitatis.¹⁷ Vestigia hierogamiae in cultu dionysiaco adsunt etiam in Italia, scilicet in Villa Mysteriorum Pompeiis¹⁸. Symbolismus matrimonialis vel potius sexualis invenitur probabilissime iam in primo gradu initiationis — τελετή in magna mysteria eleusiniaca; sic enim debet intelligi formula „liturgica” S. Clementis Alexandrini: „jeiunavi et bibi potum mixturae, sumpsi ex cista, postquam manipulavi in calathum misi et ex calatho in cistam”¹⁹. In vasibus erant probabiliter pudenda et ritus consistebat in symbolis valde turpibus²⁰. Fundamentalis significatio formulae clementinae est etiam nihil aliud quam intentio foecunditatis et credulitas magica²¹. Hiéros gámos existebat certe in secundo gradu initiationis ἐπόπτεια coniunctus etiam cum cultu agrario et ritibus obscenis²². Symbolismus hierogamiae paganae possidet tres praecipuas proprietates: 1° characterem exclusive individualement habet i. e. sacrum connubium unius cum una sive dei cum dea sive dei (deae) cum homine. Exempla clara de hierogamia alicuius dei cum societate non existunt²³.

¹⁵ Cf. E. Küster, *Die Schlange in der griechischen Kunst und Religion*, Giessen 1913, p. 149 sq. A. Dieterich, op. cit., p. 124.

¹⁶ Ps. Demosth. 59, 75. A. Wilhelm, ξύμμεϊξις, „Anzeiger der Akad. Wissenschaft in Wien”, 74 (1937) 39—57. L. Deubner, *Attische Feste*, s. 101—110.

¹⁷ L. Deubner, op. cit., p. 116 s.

¹⁸ Cf. M. Rostovzeff, *Mystic Italy*, New York 1927, p. 46. M. Bieber, *Der Mysteriensaal der Villa Iam*, „Jahrbuch des Deutschen Arch. Inst.”, 43 (1928) 120.

¹⁹ Protrept. 2, 21, 2.

²⁰ J. M. Lagrange, *La régénération et la filiation divine dans les mystères d'Eleusis*, „Revue Biblique”, 38 (1929) 63—70. Ch. Picard, *L'épisode de Bambo dans les mystères d'Eleusis*, „Revue de l'Histoire et de Religions”, 95 (1927) 220—255. K. Prümm, *Mystères*, in *Supplément au Dict. de la Bible* VI—1, 19 s.

²¹ K. Prümm, art. cit., p. 20.

²² Cf. Asterios Amas. Hom. 10 in S. S. Martyres (PG 40, 324). Cl. Alex. Protrept. 2, 15, 1. Schol. Plat. Gorg 497 C.

²³ Cf. J. A. Robillard, *Le symbolisme du mariage selon S. Paul*, „Revue des Sciences philosophiques et théologiques”, 21 (1932) 247.

2° Sensus fundamentalis et unicus hierogamiae paganae erat idea fertilitatis et magia sympathetica, cuius finis erat producere magice et quasi ex opere operato foecunditatem agrorum, hominum et etiam animalium. Recte ergo animadvertit A. J. Festugière, quod descriptio hierogamiae paganae tamquam unionis mysticae vel unionis amoris cum deo est profecto contra sensum²⁴. 3° Nota valde characteristicam hierogamiae est etiam extremus erotismus et rudis sensualitas cum ritibus obscenis coniuncta.

b) In Vetere Testamento et iudaismo. Symbolismus matrimonialis in V. Testamento modo evoluto et elaborato invenitur prima vice apud Oseam (c. 1—2). Authentica experientia propriae vitae matrimonialis²⁵ transponitur illuminatione prophetica ad planum superius nempe ad illustrandas relationes inter Jahve-maritum et populum Israel-uxorem infidelem. Sicut propheta amat semper uxorem suam adulteram Gomer ita etiam Jahve-infidelem populum; Deum vocat propheta simpliciter „maritum”, populum Israel autem „uxorem” (2, 4. 18)²⁶. In temporibus messianicis Jahve iterum despondebit populum, qui remanebit fidelis in aeternum (2, 21—22)²⁷. Idea symbolismi matrimonialis introducta ab Osea continuatur a Jeremia cum magna dependentia a suo praedecessore. Ad imaginem tamen Oseae addit Jeremias elementa nova: regnum Juda et Israel praesentat tamquam duae sorores, ambae infideles uxores Jahve (3, 6. 8)²⁸. Foedus Dei cum populo electo in monte Sinai describitur a propheta tamquam contractus matrimonialis (31. 32). Tempus ante foedus vocatur a Jeremia tempus desponsationis, in quo Israel-Sponsa Jahve erat fidelis et profunda caritate repleta erga suum Sponsum (2, 2).

²⁴ A. J. Festugière, *L'idéal religieux des grecs et l'Évangile*, Paris 1932², p. 132—136.

²⁵ Cf. P. Cruveilhier, *De l'interprétation historique des événements de la vie familiale du prophète Osée (I—III)*, „Revue Biblique”, 27 (1916) 342—362. D. Buzy, *Les symboles d'Osée*, „Revue Biblique”, 28 (1917) 376—423. A. Neher, *Le symbolisme conjugal...*, „Revue d'Histoire et de Philosophie Religieuse”, 34 (1954) 40. E. Osty, *Amos-Osée* (B. J), Paris 1952, p. 63 s.

²⁶ Cf. F. Buck, *Die Liebe Gottes beim Propheten Osee*, Rom 1953, p. 20—46.

²⁷ Cf. J. Ziegler, *Die Liebe Gottes bei den Propheten* (Alt. Abh. 11, 3), Münster i. W. 1920, p. 52. D. Buzy, *L'allégorie matrimoniale...*, „Vivre et Penser”, 3 (1944) 82. P. Heinisch, *Christus der Erlöser im Alten Testament*, Graz 1955, p. 133.

²⁸ Cf. J. Ziegler, op. cit., p. 54.

Tempus autem post foedus nominatur periodus primae caritatis coniugalis²⁹. Ezechiel in cap. 16 et 23 imaginem valde pathetice et rude evolvit quadam quasi parabola. Idea Jeremiae de duabus infidelibus uxoribus Jahve (c. 23) ab eo continuatur et stricte cum idea symbolismi matrimonialis idea foederis coniungitur (16, 8)³⁰. In parte negativa symbolismi praecipue insistit: tota historia Israelis est quasi catena adulteriorum et praevaricationum³¹. Adulteria seu infidelitates populi-uxoris provocant zelotypiam Jahve-mariti, quam Ezechiel intelligit sensu matrimoniali (16, 38. 42; 23, 25)³². In Deutero-Isaia econtra in symbolismo matrimoniali primum locum tenet bonitas et parcens ac salutifera caritas Jahve. Ille character symbolismi bene concordat cum contextu totius libri Consolationis. In puncto centrali est Syion-Hierosolyma tamquam mulier et uxor Jahve: „etenim maritus tuus est tuus creator” (54. 5). In forma valde poetica describitur symbolismus coniugalis in cap. 62. „Sicut iuvenis despondet virginem ita despondebit te creator tuus” (62. 5)³³.

Symbolismus matrimonialis elaboratus a prophetis continuatur etiam in iudaismo posteriore. In apocryphis V. Testamenti clara idea symbolismi coniugalis non invenitur. Textus enim IV Ezdr 7. 26, probabilissime authenticus non est:

„Ecce enim tempus veniet,
et erit quando venient signa,
quae prae dixi tibi, et apparebit sponsa,
apparens civitas,
et ostendetur quae nunc subicitur terrae.”

Lectio *sponsa* invenitur tantum in versione latina et aethiopica, aliae versiones habent lectionem *urbs*, quae magis concordat cum

²⁹ Cf. G. Ricciotti, *Il libro di Geremia*, Torino 1923, p. 72 J. Ziegler, op. cit., p. 56 s. A. Neher, art. cit., p. 31 nota 4.

³⁰ Cf. J. Ziegler, op. cit., p. 73—77. J. Kahmann, *Die Heilszukunft in ihrer Beziehung zur Heilsgeschichte nach Is 40—55*, „Biblica”, 39 (1951) 157. A. Feuillet, *Les origines de l'allégorie du mariage de Jahvé et d'Israël*, „Dieu Vivant”, 23 (1953) 133—144.

³¹ Cf. P. Herzog, *Die ethische Anschauungen des Propheten Ezechiel*, Münster i. W. 1923, p. 36 s. G. Fohrer, *Die Hauptprobleme des Buches Ezechiel* (Beih. zur ZAW 72), Berlin 1952, 200.

³² Cf. F. Küchler, *Die Gedanke des Eifers Jahves im A. Testament*, „Zeitschrift für die A. Test. Wiss.”, 28 (1908) 6—8. J. Daniélou, *La jalousie de Dieu*, „Dieu Vivant”, 16 (1946) 64.

³³ Cf. M. Adinolfi, *San Giuseppe e Isaia 62, 5a*, „Rivista Biblica”, 7 (1959) 57 s.

contextu et videtur probabilior³⁴. In litteratura rabbinica tamen symbolismus coniugalis occurrit sat frequenter. Foedus Dei cum populo describitur tamquam contractus matrimonialis³⁵, Tora autem documentum illius contractus est³⁶. Pronubus in matrimonio contrahendo-secundum theologiam rabbinorum — Moyses erat:

Moyses intravit ad tentoria Israelitarum
et excitavit eos ex sommo:
Surgite de sommo suo ecce iam Sponsus venit
et quaerit sponsam (populum),
ut inducat eam ad thalamum nuptialem,
et expectat, ut Toram illi det³⁷.

Secundum allegoricam interpretationem Cantici Canticorum et Ps. 44 (45) Sponsus est ipse Deus, Sponsa autem populus electus³⁸. Interpretatio illa praesertim Ps. 44 probabilissime iam tempore Apostolorum nota erat, quod confirmatur ab epistola ad Hebr. (1, 8) ubi v. 7 et 8 huius Psalmi Christo applicantur³⁹.

Symbolismus matrimonialis biblicus et iudaicus in comparatione cum symbolismo hierogamiae paganae multas differentias ostendit. In hellenismo symbolismus coniugalis characterem individualementalem possidet in V. Testamento et iudaismo socialem. In V. Testamento prophetae utuntur symbolismo matrimoniali ad demonstrandam caritatem Jahve erga suum populum in paganismis autem ad procurandam fertilitatem. In V. Testamento matrimonium humanum est quasi imago ope cuius illustrantur relationes inter Deum et populum: matrimonium bonum designat relationes bonas, matrimonium autem malum relationes malas. In descriptione imaginis seu matrimonii humani inveniun-

³⁴ Cf. B. Violet, *Die Esraapokalypse*, Leipzig 1910, t. I, p. 72s. Idem, *Die Apokalypsen des Esra und des Baruch*, Leipzig 1924, p. 73. S. Gunkel, *Das 4 Buch Esra* (in E. Kautzsch, *Die Apokryphen...*, Tübingen 1900) t. II, p. 370. M. J. Lagrange, *Le messianisme chez les Juifs*, Paris 1909, p. 107, nota 2.

³⁵ Baba Bathra 10, 14. Cf. etiam F. Weber, *Jüdische Theologie auf Grund des Talmud und verwandter Schriften*, Leipzig 1897, p. 51.

³⁶ Dt Rabba 3 (200d): Strack-Billerbeck, I, 969.

³⁷ Pirque Rabbi Eliezer 41: Strack-Billerbeck, I, 969.

³⁸ Cf. M. Viulliaud, *Le Cantique des Cantiques d'après la tradition juive*, Paris 1925, p. 141—145. J. Bonsirven, *Exégèse rabbinique et exégèse paulienne*, Paris 1938, p. 216.

³⁹ Cf. H. Herkenne, *Das Buch der Psalmen*, Bonn 1936, p. 169. E. Pannier-H. Renard, *Les Psaumes*, Paris 1950, p. 268.

tur interdum expressiones nimis naturalisticae et rudes praesertim apud Ezechielem. Numquam tamen expressiones illae transponantur ad planum superius i. e. ad matrimonium Jahve cum populo. In hac sphaera adulteria in matrimonio humano designant inoboedientiam erga praecepta Dei. In matrimonio ergo Jahve cum populo Israel desunt ulla vestigia sensualitatis. Processus omnino contrarius est in symbolismo hierogamiae: matrimonium deorum est exemplar matrimonii humani. In cultu et ritibus hierogamiae non raro lascivia ipsi deo adscribitur.

Post descriptionem symbolismi matrimonialis in aetate Paulina debemus respondere an Paulus in sua doctrina de symbolismo coniugali alludit ad ideas sui temporis. Imprimis tamen debet examinari textus Apostoli 2 Cor. 11, 2—3 et deinde comparari cum illis ideis.

2. TEXTUS 2 COR. 11, 2—3 IN SUO CONTEXTU

Pericope 2 Cor. 11, 2—3 ubi prima vice in theologia Paulina invenitur idea symbolismi matrimonialis posita est in valde notabili contextu, qui multum affert ad bonam intelligentiam ipsius textus nempe in apologia polemica Apostoli (10, 1—13, 10)⁴⁰. Apologia subdividitur in duas partes: 1° defensio Apostoli contra accusationes personales (c. 10). 2° In parte centrali apologiae continetur elogium seu sermo gloriationis et defensio auctoritatis et dignitatis sui apostolatus (11, 1—12, 13)⁴¹. 3° Annuntiatio Visitationis et monitiones (12, 14—15, 10). Elogium Apostoli praeter introductionem (11, 1—4)⁴² et epilogum (12, 11—13) dividi potest etiam in tres partes in quibus Apostolus titulos suae gloriationis exponit: a) „gratis evangelium evangelizavi” i. e. Paulus laboravit apud eos non mercede animatus et suae utilitatis immemor (11, 7—15). b) secundus titulus gloriationis est origo Apostoli, labores et pericula apostolatus (11, 16—33). c) tertius titulus: gratiae supernaturales nempe visiones et revelationes (12, 1—10).

⁴⁰ Cf. L. Cerfaux, *Le Corpus paulinien (in: Introduction à la Bible II — A. Robert et A. Feuillet)* Tournai 1959, p. 446 s.

⁴¹ Cf. A. Wikenhauser, *Einleitung in das N. Testament*, Basel 1959³, p. 280.

⁴² Cf. J. Héring, *La seconde épître de S. Paul aux Corinthiens*, Paris 1958, p. 83. H. D. Wendland, *Die Briefe an die Korinther* (Das N. T. Deutsch 7), Göttingen 1954⁷, p. 208.

In epilogo alludit ad prologum (ἀφροσύνη 11, 1 — ἡέγονα ἄφρων 12, 11) et breviter resumit totum sermonem⁴³. Tonus totius sermonis est valde affectuosus sed etiam interdum durus et personalis, nihil ergo mirum quod in prologo petit Apostolus, ut Corinthi sustineant eius insipientiam i. e. eius gloriationem et tonum totius sermonis (11, 1). In 11, 2—3 explicat cur se ipse laudet et cur ita dure ad eos loquatur. Elogium Apostoli fontem suum habet in eius zelotypia seu in fervido amore erga Sponsam Christi (11, 2 a). Apostolus habet ius immo etiam officium ita eos tractare, quia tamquam pronubus iunxit eos cum Christo et in adventu eius debet eos illi praesentare (11, 2 b). Causa tamen principalis huius modi agendi est periculum in quo ecclesia Corinthiaca versatur:

v. 2. Ζηλώ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλω, (2a)
 ἡρμოსάμην γὰρ ὑμᾶς ἐνὶ ἀνδρὶ (2b)
 παρθένον ἀγνήν παραστήσαι τῷ χριστῷ.

v. 3. φοβοῦμαι δὲ μή πως,
 ὡς ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν Εἰδαν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ.
 φθαρῆ τὰ νοήματα ὑμῶν
 ἀπὸ τῆς ἀπλότητος τῆς εἰς χριστόν.

In v. 3 adest quaedam lectio varians, quae afficit sensum nempe post ἀπλότητος codices S, B, F, G, P⁴⁴, 17, 74 addunt καὶ τῆς ἀγνότητος. Hanc lectionem confirmant versiones syriacae, aethiopicae et gothicae, ex patribus autem Archelaus et Augustinus. Eadem lectio sed in ordine inverso invenitur in D, E, d, e et apud Epiphanium. Codices tamen S^c, D^c, H, K, L, M, P, Ψ, Vulgata, versio syrohebraeleensis, Cl. Alec. Origines (gr.) possident lectionem breviorē nempe ἀπὸ τῆς ἀπλότητος. Ambrosius et Lucifer habent autem lectionem ἀπὸ τῆς ἀγνότητος. Lectio ultima eliminanda est, argumenta enim in favorem eius genuinitatis sunt insufficientia. Auctores oscillant inter lectionem breviorē et longiorē. Lectio longior admittitur a C. Lachman, B. F. Westcott — E. J. A. Hort, B. Weiss, H. v. Soden, H. J. Vogels, A. Merk, E. B. Allo, lectio autem brevior

⁴³ Cf. Ph. Bachmann, *Der zweite Brief des Paulus an die Korinther* (Kom. N. T. — Th. Zahn VIII), Leipzig 1909², p. 357.

⁴⁴ Cf. H. Lietzmann, *An die Korinther I—II* (Hdb. N. T. 9), Tübingen 1949², p. 145.

a C. Trischendorf, F. S. Gutjahr, J. Sickenberger, Ph. Bachmann, H. Lietzmann, C. Spicq. Et revera lectio brevior praeferenda est; additamentum καὶ τῆς ἀγνότητος est glossa introducta sub influxu v. 2: παρθένον ἀγνήν.

Si agitur de structura litteraria pericopes notandum est ver. 2—3 perfectam unitatem efficere, quod patet tam ex eius argumento quam ex stilo. Particulae γὰρ (v. 2 b) et δὲ (v. 3) indicant strictam coniunctionem inter illos versus. Argumentum etiam est idem nempe symbolismus coniugalis. Paulus — sicut recte notat H. Windisch⁴⁵ praesentat quasi parvum drama. Personae dramatis sunt: Christus — Sponsus, Ecclesia — Sponsa, Apostolus — pronubus et adversarii seu falsi apostoli quorum symbolum serpens est. In descriptione dramatica opponuntur intra se ἡρμოსάμην et φοβοῦμαι et oppositio illa constituit fundamentum pro ζηλω⁴⁶. Apostolus quasi explicat fundamenta et causae suae zelotypiae: prima ratio, quae personalis vocari potest, est: ἡρμოსάμην γὰρ ὑμᾶς ἐνὶ ἀνδρὶ; secunda ratio zelotypiae apostoli est periculum Ecclesiae — Sponsae ex parte falsorum apostolorum⁴⁷. Pericope ergo dividi potest in tres partes:

- 1° zelotypia Apostoli (v. 2 a)
- 2° connubium Christi cum ecclesia (v. 2 b)
- 3° periculum ecclesiae — coniugis.

3. ZELOTYPIA APOSTOLI: v. 2 a

Terminus ὁ ζῆλος quo utitur Apostolus ad describendam suam personalem curam erga ecclesiam Corinthiacam sat frequens est tam in graecitate profana quam in biblica. Ζῆλος in lingua graeca classica vertitur communiter: aemulatio, zelus, studium, desiderium⁴⁸. Ζῆλος tamquam affectus humanus potest habere sensum positivum vel negativum dependenter ab eo ad quod animus excitatur, ad honestum vel ad malum⁴⁹ e. gr. apud Platonem⁵⁰ inter-

⁴⁵ Op. cit., p. 318.

⁴⁶ Cf. Ph. Bachmann, op. cit., p. 359.

⁴⁷ Cf. R. Cornely, *Commentarius in S. Pauli Apostoli Epistolas: Ep. ad Corinth. altera.....*, Parisiis 1892, p. 281, F. S. Gutjahr, *Der zweite Brief an die Korinther*, Graz 1917, p. 724.

⁴⁸ Cf. H. Stephanus, *Thesaurus graecae Linguae*, Parisiis 1829, t. II, s. v. A. Stumpff, Ζῆλος — ζηλώω, in TWNT II, 879.

⁴⁹ Cf. W. Bauer, *Wörterbuch zum N. T.*, ed. V, Berlin 1958, p. 667.

⁵⁰ Phileb, 47e; 50b.

dum invenitur in una linea cum bonis affectibus, interdum autem cum malis. Ζηλος tamquam affectus malus significat passionem, cupiditatem quae destruit societatem humanam⁵¹, et verti potest per zelotypiam vel invidiam. In graecitate classica desunt exempla, ubi ζηλος adhibetur sensu matrimoniali. Terminus ζηλος specialem significationem habuit in ethica graeca, adhibebatur nempe in sensu aemulationis, desiderii vel studii sublimis finis, in sensu quasi tendentiae ad finem bonum et honestum. In hac linea significationis invenitur etiam ζηλος in sensu honesti motivi ethici ad perfectionem characteris servientis et usurpatur in contradictione ad zelotypiam et invidiam. Ζηλώω in graecitate profana etiam multas significationes habet: sensu lato verti potest: aliquem tamquam felicem putare. Ζηλώω potest etiam designare affectum humanum sive bonum, sive malum in sensu: aemulari, imitari, admirare, diligenter occupari aliqua re, facere aliquid finem suae actionis⁵².

In LXX substantivo ζηλος correspondet verbum hebraicum *qin^eh* a radice *qn'* quod essentialiter designat amorem hominis erga Deum vel Dei erga hominem⁵³. Prima significatio radicis secundum F. Zorell est: „zelavit i. e. vehementi amore flagravit”, consequenter substantivum designat, „animum amore alcs personae vel rei vehementi ferventem, vel simpliciter amorem”⁵⁴. De usu LXX termini ζηλος tria notanda sunt:

1° usus typice graecus, i. e. sensu aemulationis seu tendentiae ad honestatem propriae personalitatis, non invenitur in LXX.

2° ζηλος tamquam affectus humanus invenitur tantum in superioribus libris V. T.

3° in media parte exemplorum ζηλος adscribitur ipsi Deo et designat intensitatem actionis divinae. Hic usus est exclusive Vetero- Testamentarius⁵⁵. Quando sermo est de zelo Jahve fere semper agitur de relatione eius cum populo electo. Ζηλος Jahve erga populum suum nihil aliud est quam expressio caritatis, etiam cum iura sua vindicat vel populum suum punit facit hoc ex caritate

⁵¹ Hes. Op. 193 apud A. Stumpff, art. cit., p. 880.

⁵² A. Stumpff, art. cit., p. 879 s.

⁵³ Cf. S. Lyonnet, *De peccato et redemptione*, Roma 1957, t. I, p. 47.

⁵⁴ F. Zorell, *Lexicon hebraicum*, p. 727.

⁵⁵ Cf. A. Stumpff, art. cit., p. 880 s.

et eo fine, ut populus ad Deum redeat (Dt 4, 24 : Ex 5, 20) ⁵⁶. Ζήλος in LXX utitur etiam sensu matrimoniali i. e. de zelotypia coniugum (Prov 6, 34; Cn 8, 6) tam in matrimonio humano quam in allegorica descriptione matrimonii Jahve cum populo ⁵⁷. Hic usus est etiam proprius LXX. Osee qui primus describit relationes inter Deum et populum ope imaginis matrimonii nondum adhibet substantivum ζήλος. Ezechiel e contrario utitur verbo ζήλος praecise in contextu ubi describit matrimonium Jahve cum populo (Ez 23, 25; 16, 38. 42. 60—63). Terminus ζήλος adscribit Jahve sensu speciali i. e. in sensu zelotypiae matrimonialis ⁵⁸. Infidelitates et adulteria Israelis — uxoris provocant zelotypiam Jahve — mariti. Zelotypia Dei etiam in hoc sensu sumpta „exprimit sensu proprio exigentias amoris Dei potius quam exigentias iustitiae vindicativae” ⁵⁹.

Ζήλος apud S. Paulum invenitur in contextu praecise Vetero-Testamentario, quod indicat praecipue gen. Θεοῦ. Phrasis Θεοῦ ζήλος est directe ex LXX desumpta, ubi loco Θεός est Κύριος (4 Rg 19, 13, Is 9, 7) ⁶⁰. Exegetae diversis in modis gen. illum explicant: G. Estius ⁶¹ Θεοῦ ζήλος reddit per „secundum Deum” vel „pro Deo”, similiter etiam Allo ⁶². Lietzmann ⁶³ et Gutjahr ⁶⁴ putant gen. subiectivum esse i. e. ζήλος qui procedit a Deo. Multi tamen exegetae et recte interpretantur illud gen. tamquam gen. qualitatis, qui verti potest: „tali vos amore prosequor, quali Deus” ⁶⁵. Zelotypia et amor Apostoli similia sunt zelotypiae et amoris ipsius Jahve. Usus philologicus et sensus sunt omnino concordantes cum V. Testamento ⁶⁶. Hoc etiam explicite confirmat contextus proximus ἡρμοσάμεν γὰρ ὑμᾶς; Paulus similiter ac Ezechiel coniungit ζήλος cum idea matrimonii. Apostolus, tamquam pronubus, vicem

⁵⁶ Cf. S. Lyonnet, op. cit., p. 47. P. van Imschoot, *Théologie de l'Ancien Testament*, Tournai 1954, t. I, p. 259.

⁵⁷ Cf. F. Kückler, art. cit., p. 43. 47 s.

⁵⁸ Cf. F. Kückler, art. cit., p. 48. A. Stumpff, art. cit., p. 881. J. Daniélou, art. cit., p. 64.

⁵⁹ Cf. S. Lyonnet, op. cit., p. 49.

⁶⁰ Cf. J. Kudasiewicz, *Geneza Pawłowej symboliki małżeństwa*, „Roczniki Teologiczno-Kanoniczne”, V (1958), fasc. 2, p. 7.

⁶¹ *In omnes b. Pauli Epistolas... commentarii*, Moguntiae 1852, t. II, p. 168.

⁶² *Saint Paul. Seconde Épître aux Corinthiens*, Paris 1937², p. 276.

⁶³ Op. cit., p. 143.

⁶⁴ Op. cit., p. 723.

⁶⁵ F. Zorell, *Lexicon Graecum N. T.*, Parisiis 1931², p. 554.

⁶⁶ A. Stumpff, art. cit., p. 883.

ipsius Christi — Sponsi gerens cum zelotypia curat Sponsam — Ecclesiam, ne falsos apostolos sequatur. In V. Testamento ipse Jahve invigilabat cum sacra zelotypia dilectae sponsae suae et impediabat, ne serviret diis alienis. Loco populi Israel intrat novus populus — Ecclesia, quae in simili periculo versatur ac olim Israel — Sponsa Jahve⁶⁷. In Paulina conceptione zelotypiae possunt inveniri etiam alia elementa ex V. Testamento desumpta praesertim idea amoris fervidis ac exigentis et irae iustitiaeque vindicativae, quod sequitur ex contextu totius apologiae Paulinae et praesertim ex sermone gloriationis, ubi Apostolus iura sui apostolatus vindicat. Recte ergo ζήλος in 2 Cor. 11. 2 describit J. Chrysostomus:⁶⁸ zelotypia qua „animi eorum laborant, qui vehementissimo amore erga illos flagrant, quos amant”. Bona et pulchra est etiam definitio zeli S. Thomae:⁶⁹ „zelus est amor intensus non patiens consortium in amato”.

Verbum ζηλόω in 2 Cor 11, 2 utitur Paulus etiam sensu LXX. Ζηλοῦν cum significatione „zelanter aliquem aemulari, imitari, tendere ad aliquam rem, ad finem” i. e. sensu stricte classico invenitur praesertim in Proverbiis (3, 31; 4, 14; 23, 17; Eccli 51, 18 (LXX): 2 Mc 4, 14)⁷⁰. Sensu religioso scilicet quando praedicatur de Deo vel de homine qui est in unione cum Deo possidet significationem peculiarem et propriam exclusive litteraturae iudaicae. Locus classicus invenitur in Ex 20, 5, ubi Θεός ζηλωτής occurrit tamquam proprius titulus Jahve, qui pertinet quasi ad ipsam eius essentiam: ὁ γὰρ Κύριος ὁ Θεός ζηλωτὸν ὄνομα, Θεός ζηλωτής ἐστίν. Ex 34, 14. Homo quoque potest esse plenus zeli Dei. Zelus ille dirigitur ad servandam gloriam vel legem Dei, praecipue tamen convertitur contra idololatriam populi electi⁷¹. Nonnullae tantum personae V. Testamenti gaudebant possessione zeli Dei nempe Phinees⁷², Elia⁷³, Jehu⁷⁴, Matathias⁷⁵, Judith in ora-

⁶⁷ Cf. ibidem 883.

⁶⁸ In Epist. II ad Cor. Homil. 23 (P. G. 61, 553).

⁶⁹ In omnes S. Pauli Ap. Epistolas Commentaria, Taurini 1929, t. I, p. 490.

⁷⁰ A. Stumpff, art. cit., p. 885 s.

⁷¹ A. Stumpff, art. cit., p. 886.

⁷² ἐν τῷ ζηλώσει μου τὸν ζῆλον αὐτοῖς 25, 11.

⁷³ ζηλῶν ἐζήλωκα τῷ Κυρίῳ παντοκράτορι. 3 Rg 19, 10.

⁷⁴ Cf. 4 Rg 10, 16.

⁷⁵ πᾶς ὁ ζῆλος τῷ νόμῳ 1 Mc 2, 26.

tione sua petit Deum etiam pro his, ἢ καὶ ἐζήλωσαν τὸν ζῆλόν σου 9, 4. Contextus historicus in omnibus his locis est idem nempe periculum infidelitatis et idololatriae imminens populo. Ζηλοῦν significat hic actum hominis qui patrat propter ipsum Deum. Finis huius zeli est evidens: indicare populo periculum, deducere de via mala et adducere ad verum Deum. Nemo non videt quam profunde philologice et theologice coniungitur ζηλοῦν Pauli cum zelo sanctorum veteris Legis. Paulus similiter ac Phinees, Elia, Jehu et Mathatias zelatur zelo divino pro novo populo eiecto, qui in simili periculo ac olim Israel versatur. Pseudo-apostoli enim volunt seiugare Ecclesiam Corinthiacam a Christo et a vero Evangelio a Paulo praedicato. Phrasis ergo Paulina ζῆλῳ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλω philologice et theologice directe ex LXX provenit.

4. CONNUBIUM CHRISTI CUM ECCLESIA

a) Interpretatio v. 2 b. Fundamentum zelotypiae Apostoli provenit ex eius functione pronubi. Paulus despondit Ecclesiam Corinthiacam Christo, habet ergo ius et officium cum zelotypia vigilandi. Suam functionem pronubi describit utendo verbo ἀρμόζω: ἤρμωσάμεν γὰρ ὑμᾶς ἐνὶ ἀνδρὶ, παρθένον ἀγνήν παραστήσαι τῷ χριστῷ. 'Αρμόζω in Med. significat „me ipsum cum filia alicuius despondeo”⁷⁶. In v. 2 b med. stat loco activi quod in graecitate biblica saepe occurrit⁷⁷. In graecitate classica iam a Pindaro ἀρμόζω praeter alias significationes fuit etiam terminus technicus de matrimoniis ineundis et habuit duplicem sensum: 1° spondere, despondere i. e. promittere nuptiarum causa⁷⁸, despondere ad matrimonium. 2° iungere connubio, nuptui dare, matrimonio iungere puellam, unire per vinculum matrimonii, filiam in matrimonio dare. Significatio secunda verbi „matrimonio iungere” certe praevalet praesertim apud Pindarum⁷⁹. J. Rumpel⁸⁰ in suo

⁷⁶ ἀρμόζεσται τ. θυγατέρα τινός... Cf. P. Oxy 906, 7.

⁷⁷ Cf. F. M. Abel, *Grammaire du grec biblique*, Paris 1927, p. 245. J. H. Moulton, *A grammar of New Testament greek*, Edimburgh 1930, p. 160. E. Blass, A. Debrunner, *Grammatik des neutestamentlichen Griechisch*, Göttingen 1954⁹, p. 198.

⁷⁸ ὅς ἀρμωσάμενος Τήλους τοῦ Συβαρίτεω θυγατέρα ἔφυγε ἐκ Κρότως ψευσθεὶς δὲ τοῦ γάμου Hdt. 5, 47.

⁷⁹ ξυγνὸν ἀρμώζειται θεῷ τε γάμον μυχθέντα κοῦρα θ' Ἰψέος ἐυρυβία... Pind. Py. 9, 13. Cf. Py 9, 117.

⁸⁰ *Lexicon Pindaricum*, Lipsiae 1883, p. 68.

vocabulario Pindarico s. v. ἀρμόζω simpliciter notat: „Pindarus verbum ἀρ ..” de connubio a parentibus sollemniter iuncto” utitur. Similiter etiam L. Cerrato⁸¹ in nota ad Py 9, 13 censet verbum ἀρ.... „terminum proprium ad matrimonium legitimum designandum” esse. Apud Herodotum⁸² multa exempla inveniuntur in quibus ἀρ ad coniunctionem matrimonialem applicatur. In graecitate classica ἀρ.. sensu „matrimonio iungere” ita praevalet, ut A. Bailly⁸³ illam tantum significationem notet: „dare iuveni filiae electum, vel simpliciter” „dare maritum iuveni filiae”. In papyris ἀρ.. tam in Act. quam in Med. significat etiam „matrimonio iungere”⁸⁴. In LXX radix ἀρ.. novies occurrit sed semel tantum de connubio παρα δὲ κυρίου ἀρμόζεται γυνή ἀνδρί.. Prov. 19, 14) et certe non sensu „despondere” sed „matrimonio iungere”⁸⁵. Ex his considerationibus philologicis clare patet verbum ἀρ.. in graecitate classica duplicem sensum habuisse in LXX autem et in papyris potius unum nempe „matrimonio iungere”. Haec observatio aliquod momentum pro interpretatione 2 Cor 11, 2 b habet. Quaestio enim est, utrum Paulus in hoc loco dicat de sponsaliis, an fortasse iam de vero matrimonio?

Secundum sententiam fere communem ἀρ.. in 2 Cor 11, 2 b sensu „despondere” interpretandum est: „sponsalitia vero de quibus hic agitur, uti monet Chrysostomus⁸⁶, tempus haec aetas est, nuptiae vero in sponsi Christi adventu celebrabuntur”⁸⁷. Aor. ἡρμοσάμενη indicat quod sponsalitia iam facta sunt. Secundum illam

⁸¹ *Le odi di Pindaro*, Genova 1915, p. 180.

⁸² Hdt. 5, 32; 3, 137. Cf. etiam E. Powell, *A Lexicon to Herodotus*, Hildesheim 1960², p. 46.

⁸³ *Dictionnaire Grec Français*, Paris 1950¹⁶, p. 274.

⁸⁴ Cf. O. F. Preisigke, *Wörterbuch der griechischen Papyrusurkunden*, Berlin 1925, t. I, p. 213.

⁸⁵ LXX per v. ἀρμόζεται vertit Ptc. fem. Hi. *mašekelet*: F. Zorell s. v. (*škl*) et L. Koehler s. v. deducunt ex radice *škl* quod in Qal = prudens, circumspetus fuit, in Hi. consideravit, intuitus est. Participium autem habet sensum „sensatus, prudens”. Phrasim *iszāh m* Koehler vertit: „einsichtige Frau”. W. Gesenius s. v. rectius fortasse supponit existentiam 2-i radice *škl* in sensu „unire” (verbinden).

⁸⁶ In epist. II ad Cor Homil. 23 (P. G. 61, 553).

⁸⁷ R. Cornely, op. cit., p. 282. Haec interpr. quam proposuit iam Chrysost. habet adhuc multos fautores: C. a Lapide, G. Estius, F. S. Gutjahr, Ph. Bachmann, H. Windisch, J. Sickenberger, H. Lietzmann, A. Wikenhauser, F. Mussner, V. Jacono, E. B. Allo, R. C. H. Lenski...

interpretationem Inf. Aor. παραστήσαι sensu finali intelligitur. Exegesis illa eschatologica vocari potest.

Interpretationem eschatologicam omnino reicit P. A. Vitti, qui in ea periculum nihilismi soteriologici videt. Secundum eum coniugium iam in hac vita, „factum est, in quo Paulus nonnisi vadimonium, immo amplius notitiam primam pulchritudinis sponsi afferens omnia apparavit quae necessaria erant ut de pulchritudine hac delectantur fideles, atque nuptias ambirent; hisce praedispositis utraque pars coniuncta est: Paulus autem semper invigilat, ne fidelitas e parte adductae sponsae ad Christum perimatur” Secundum interpretationem eschatologicam baptismus est momentum sponsalium, secundum autem P. A. Vitti in baptismo incipitur iam connubium proprie dictum. Verbum ἀρ. intelligit sensu” matrimonium iungere et sequendo versionem Pesitho interpretatur relative vel explicative: „quippe qui ego curam gessi de nuptiis vestris”. Inf. autem παραστήσαι finaliter: cura mea huc tendebat ut adducerem vos et in consortio coniugali castissime viveretis sine ancipiti amore... Dicit ergo potest inf. παραστήσαι esse potius consecutivum, quam futuram tantummodo copulationem coniugum exprimens”⁸⁸.

Ambae sententiae videntur aliquod verum habere, sed tamquam opiniones extremae paululum exaggerant: non est enim verum quod symbolizata a matrimonio unio Ecclesiae cum Christo in Parusia erit neque iam nunc in terris unio illa perfecta est. Aliquam lucem ad interpretationem huius loci praebent iudaicae consuetudines in contractibus matrimonialibus servandae. Paulus enim certe prae oculis habuit matrimonium iudaicum. Secundum legem et consuetudinem Iudeorum in contractu matrimoniali duo elementa distinguebantur sponsalia *qidāuszim* nempe et proprium connubium *nisū'in*⁸⁹. Occasione sponsalium futurus maritus Sponsae suae donum offerebat. Per sponsalitia iuridice matrimonium iam contractum erat, sponsa vocabatur uxor et infidelitas eius tamquam adulterium tractabatur et morte puniebatur (Dt 22, 23). A momento sponsalium usque ad matrimonium proprium erat in tutela sui patris et pronubi, qui perducebat eam in domum

⁸⁸ P. A. Vitti, *Ecclesiologia*, Romae 1933, p. 295.

⁸⁹ Cf. J. Döllger, *Das Weib im Alten Testament*, Münster 1920, p. 41. W. Kornfeld, *Mariage, in Suppl. au Dict. de la Bible*, t. V, p. 913.

sponsi et testimonium castitatis dabat. Similiter etiam Paulus actione sua apostolica adduxit Corinthios ad fidem Christi et ad baptismum seu ad momentum sponsalium cum Christo. Christus Sponsus hac ex occasione dedit sponsae suae ecclesiae donum gratiae⁹⁰. Iuridice tamen matrimonium iam factum est et ecclesia Corinthiaca vocari potest non solum sponsa sed etiam coniux Christi. Iam ab hoc memento obligatur ad fidelitatem erga Sponsum suum Christum et praevaricatio eius poenam meretur. Connubium tamen proprie dictum cum solemnibus introductione sponsae ad domum sponsi erit tempore adventus Christi. Non est ergo possibilis totalis eliminatio sensus eschatologici. Similiter etiam non est vera opinio secundum quam connubium proprie dictum incipitur in ultimo adventu Christi. Connubium inter Christum et ecclesiam exordium suum habet iam his in terris per baptismum, introductio tamen in domum Sponsi et perfecta et definitiva unio erit tempore adventus Christi. Matrimonium ergo Christi cum Ecclesia non potest considerari tamquam res mere eschatologica seu exclusive futura, neque ut iam perfecte et definitive praesens, sed inchoative et partialiter praesens iam in hac vita⁹¹. Notio ergo symbolica „connubium Christi cum Ecclesia” duplicem aspectum habet eschatologicum nempe et praesentem, similiter ac fere omnes notiones messianicae ex V. Testamento desumptae⁹². Hanc interpretationem confirmant loca parallela (Rm. 7, 1—4; Eph. 5, 22—33) in quibus Paulus connubium Christi cum Ecclesia comparat cum matrimonio proprie dicto. Terminus ἀρ. ope cuius describit Paulus unionem Christi cum Ecclesia in graecitate hellenistica significat potius matrimonio iungere quam despondere.

Haec unio inter Christum et Ecclesiam tamquam matrimonium descripta — mediante Paulo facta est. Apostolus comparat hic suam functionem erga Ecclesiam Corinthiacam functioni pronubi⁹³

⁹⁰ In liturgia syriaca orientali saepe occurrit imago Christi Sponsi et Ecclesiae-Sponsae. Donum quod offert Christus-Sponsus est: „sacramentum Corporis et Sanguinis Domini” vel in alio loco „nova vita ex baptismo profluens”. Cf. H. Engberding, *Die Kirche als Braut in der ostsyrischen Liturgie*, „Orient. Chr. Period.”, 3 (1937) 90.

⁹¹ Cf. W. G. Kümmel, op. cit., p. 209.

⁹² Cf. S. Lyonnet, *De notione salutis in N. Testamento*, „Verbum Domini”, 36 (1958) 12.

⁹³ Cf. S. Thomas, op. cit., p. 490. C. a Lapide, op. cit., p. 489. G. Estius, op. cit., p. 168. A. Bisping, *Erklärung des zweiten Briefes*

non autem patris ⁹⁴. Activitas enim apostolica S. Pauli, ope cuius adduxit Corinthios ad Christum, similis erat functioni pronubi in matrimonio. Pronubus in iudaismo vocabatur *szuszein*; ille quaerebat sponsam pro sponso, invigilabat tempore sponsalium, perducebat eam ad domum Sponsi. In cena nuptiali locum honorabilem occupabat et obligatus erat testimonium virginitatis dare ⁹⁵. Paulus etiam invenit Christo-Sponso Ecclesiam Corinthiacam — Sponsam, invigilat castitati eius fidei erga Sponsum et in fine dierum perducet eam in domum Christi-Sponsi et in cena nuptiarum Agni (Ap. 19, 9) tamquam Apostolus — pronubus honorificabitur.

Sponsus — ἐνὶ ἀνδρὶ — et Sponsa — ὁμᾶς — in prima parte v. 2 b sunt tantum valde generaliter designati. Sponsa — ὁμᾶς — est Ecclesia Corinthiaca; directe ergo et per se Ecclesia particularis non universalis. Titulus ille tamen potest applicari etiam Ecclesiae-universali, quia secundum conceptionem Paulinam Ecclesia particularis repraesentat Ecclesiam universalem et participat in eius proprietatibus et privilegiis ⁹⁶. Et revera ipse Paulus in Eph. 5, 22—33 titulum Sponsae attribuit Ecclesiae universali. Sponsus — ἐνὶ ἀνδρὶ — vocatur simpliciter ἀνὴρ certe in sensu „maritus” Probabiliter alludit hic Apostolus ad Oseam nempe ad verba Jahve: καλέσει με ὁ ἄνθρωπος μου (2, 18—LXX; Cf. 2, 4). Contextus enim est idem i. e. descriptio symbolismi matrimonialis. Expressio ἐνὶ habet sensum valde emphaticum, indicat scilicet exclusionem aliorum ⁹⁷.

In secunda phrasi v. 2 b: παρθένον ἀγνήν παραστῆσαι τῷ χριστῷ

an die Korinther, Münster 1863, p. 124. G. Heinrichi, *Kritisch — exegetisches Handbuch über den zweiten Brief an die Korinther*, Göttingen 1883, p. 312. R. Cornely, op. cit., p. 281. M. Lietzmann, op. cit., p. 143. F. S. Gutjahr, op. cit., p. 723. C. Spicq, *Epîtres aux Corinthiens*, Paris 1951³, p. 376.

⁹⁴ Apostolum tamquam patrem considerant sequentes exegetae: Primasius, *Commentaria in Ep. S. Pauli* (PL, 30, 799). E. B. Allo, op. cit., p. 276. J. Schmid, art. cit., p. 546. H. Windisch, op. cit., p. 319. R. H. Strachan, *The second Epistle of Paul to the Corinthians* (The Moffat N. T. Com.); C. H. Lenski, op. cit., p. 1235. J. Hering, op. cit., p. 84.

⁹⁵ Cf. H. Strack — P. Billerbeck, op. cit., t. I, p. 500—504. Cf. etiam R. Cornely, op. cit., p. 281. J. Jeremias, νόμφη νομφίος in TWNT IV, 1094.

⁹⁶ Cf. A. Wikenhauser, *Die Kirche als der mystische Leib Christi*, Münster i. W. 1940², p. 128.

⁹⁷ Cf. R. C. H. Lenski, op. cit., p. 1237.

Paulus accuratius describit sponsam *παρθένος ἀγνή* et sponsum — *χριστός*. Per descriptionem Ecclesiae Corinthiacae tamquam *παρθένος ἀγνή* alludit Paulus ad V. Testamentum, ubi Israel saepe vocatur virgo (Is. 37, 22; Jr. 18, 13; 38, 31). Titulus Israeli *παρθένος* in V. Testamento iungitur saepe cum symbolismo matrimoniali (Jr 2, 2; Is 52, 6). Paulus describens Ecclesiam Corinthiacam tamquam *παρθ.* alludit directe ad V. Testamentum et similiter ac in V. T. iungit titulum Ecclesiae *παρθ.* cum symbolismo matrimoniali⁹⁸. Virginitas de qua est sermo non est intelligenda sensu ascetico sed symbolico i. e. de fidelitate erga Christum Sponsum et de castitate fidei. Virgines ergo — ut notat Ambrosiaster⁹⁹ — vult eos esse in fide.

Ecclesia Corinthiaca tamquam virgo casta praesentabitur a Paulo in fine dierum Christo-Sponso. Verbum *προσάγειν* multas significationes habet: praesentare, exhibere, sistere, monstrare¹⁰⁰. Ut patet ex contextu Paulus utitur verbo sensu praesentationis Sponsae¹⁰¹. Usus ille non est quid novum apud S. Paulum, occurrit enim iam in Ps 44 (45), 10 in eodem sensu nempe de praesentatione Reginae-Sponsae Regi-Sponso. Ps 44 (45) est epithalamium, quod celebrat nuptias regis¹⁰². Secundum interpretationem iudaicam iam probabilissime tempore Pauli vigentem Rex-Sponsus erat Messias, Regina-Sponsa autem Israel. Paulus ergo sine dubio alludit ad hunc psalmum¹⁰³. Hoc confirmat etiam locus parallelus in Eph 5, 27, ubi idem verbum (*παραστήσει*) occurrit eodem sensu et in identico contextu. In descriptione Ecclesiae Sponsae in Eph 5, 22—33 alludit etiam Apostolus et ad alia loca eiusdem Psalmi (Eph 5, 27—Ps 44 (45), 14)¹⁰⁴. Paulus ergo describens sacrum connubium inter Christum et Ecclesiam Corinthiacam prae

⁹⁸ Cf. G. Delling, *παρθένος*, in TWNT, IV, 835.

⁹⁹ Commentaria in XIII ep. S. P. (PL, 17, 318). Cf. etiam C. a Lapide, op. cit., p. 489. G. Estius, op. cit., t. II, p. 168.

¹⁰⁰ Cf. F. Zorell, *Lexicon graecum*, p. 1008. W. Bauer, op. cit., p. 1244 s.

¹⁰¹ Cf. H. Schlier, *Der Brief an die Epheser*, Düsseldorf 1958², p. 258, 266.

¹⁰² Cf. D. G. Castellino, *Libro dei Salmi*, Torino 1955, p. 572 s.

¹⁰³ Cf. B. Reicke, *παρίστημι...*, TWNT, V, 839.

¹⁰⁴ Cf. A. Allgeier, *Der König und die Königin des 44/45 Psalmes im Lichte des Neuen Testaments*, „Der Katholik“, 97 (1917) 150. A. Wikenhauser, *Die Kirche als der mystische Leib Christi...*, op. cit., p. 202.

oculis habuit Ps 44 (45) in contemporanea interpretatione iudaica. Rex-Sponsus est Messias, Regina-Sponsa autem Ecclesia.

b) Origo symbolismi coniugalis in 2 Cor 11, 2 s. Phrasis $\zeta\eta\lambda\omega\ \gamma\acute{\alpha}\rho\ \delta\upsilon\mu\acute{\alpha}\varsigma\ \Theta\epsilon\omicron\upsilon\zeta\eta\lambda\omega$ quae philologice et theologice exacte vetero-testamentaria est et citatum in v. 3 ex libro Gen 3, 4. 13 clare indicant ubi quaerenda sit origo Paulini symbolismi coniugalis nempe in V. Testamento¹⁰⁵. Expressio $\pi\alpha\rho\theta\acute{\epsilon}\nu\omicron\nu\ \acute{\alpha}\gamma\gamma\eta\nu\ \pi\alpha\rho\alpha\sigma\tau\eta\sigma\alpha\iota$ etiam tam quoad formam quam quoad contentum theologicum ex LXX desumpta est¹⁰⁶. Probabiliter quoque dictum $\acute{\epsilon}\nu\iota\ \acute{\alpha}\nu\delta\rho\iota$ ex LXX provenit nempe ex Osea (2, 4. 18). Paulus ergo scribens de symbolismo matrimoniali prae oculis habuit totam doctrinam V. T. de connubio Jahve cum populo electo; alludit enim ad librum Gen. ad Oseam, Jeremiam, Ezechielem, Isaiam et ad Ps 44 (45). Determinatio ergo originis Paulini symbolismi matrimonialis exclusive ad Ps 44 (45) non est recta¹⁰⁷. Paulus in 2 Cor 11, 2—3 utitur non tantum phrases et terminos vetero-testamentarios, sed etiam doctrina sui symbolismi coniugalis accurate concordat cum theologia symbolismi matrimonialis in V. Testamento. Paulus similiter ac V. Testamentum dicit de connubio Christi cum societate nempe cum Ecclesia non autem cum individuo. Symbolismus matrimonialis apud S. Paulum coniungitur stricte cum idea caritatis sicut etiam in V. Testamento, praesertim apud prophetas¹⁰⁸. Coniunctio Paulini symbolismi matrimonialis cum symbolismo coniugali V. Testamenti faciliter intelligi potest in luce Paulinae theologiae populi Dei¹⁰⁹. Ecclesia secundum S. Paulum est novus populus Dei et continuatio Israelis (Rm 9—11). Ecclesia tamquam novus populus Dei et novus Israel heres est omnium privilegiorum et promissionum populi antiqui et ideo potest vocari populus Novi et Aeterni Foederis¹¹⁰. Si ergo Israel gavisus est privilegio Sponsae, idem titulus possidet etiam novus populus. Ecclesia ergo est

¹⁰⁵ Cf. J. Kudasiewicz, art. cit., p. 6 s. F. Mussner, *Christus, das All und die Kirche* (Trierer Th. St. V), 1955, p. 157 s.

¹⁰⁶ Cf. G. Dellling, art. cit., p. 835. B. Reicke, art. cit., p. 839.

¹⁰⁷ A. Allgeier, art. cit., p. 151.

¹⁰⁸ J. Kudasiewicz, art. cit., p. 11.

¹⁰⁹ Cf. L. Cerfaux, *La Théologie de l'Eglise suivant S. Paul*, Paris 1948, p. 1—118.

¹¹⁰ Cf. E. Stauffer, *Die Theologie des Neuen Testaments*, Genf 1945⁴, p. 133. R. Smith, *The Reveance of the Old Test. for the Doctrine of the Church*, „Scottish Journal of Theology”, 5 (1952) 15—23.

sponsa Christi, quia novus Israel et novus populus Dei est¹¹¹. Translatio tituli sponsae ex Israele in Ecclesiam et tituli sponsi ex Jahve in Christum erat pro Paulo naturalis et facilis, quia in V. Testamento prophetia de novo connubio temporibus messianicis fuit (Os 2, 16—20; Is 62, 4—5). Paulus tamen symbolismum matrimonialem ex V. Testamento desumptum applicat novae oeconomiae salutis: connubium Jahve cum Israele describit lingua christiana tamquam connubium Messiae cum Ecclesia adscribendo titulum Sponsi Christo et titulum Sponsae Ecclesiae. Secundum J. Jeremias¹¹² translationem horum titulorum primus fecit S. Paulus. Opinio haec non est tamen accurata, titulus enim Messias-Sponsus notus erat probabilissime iam in iudaismo praechristiano, certe autem in traditione synoptica (Mr 2, 20)¹¹³. Paulus ergo ascribens titulum sponsi Christo habuit iam exempla. Translationem tamen tituli sponsae ex Israele in Ecclesiam primus fecit S. Paulus; in V. Testamento enim et iudaismo sponsa erat populus Israel in Evangeliiis synopticis „Sponsa” non est accurate determinata.

Symbolismus matrimonialis in 2 Cor 11, 2 s. bene intelligi potest in luce V. Testamenti; nullum vestigium influxus hierogamiae paganae invenitur in textu considerato. Ex comparatione Paulini symbolismi matrimonialis cum hierogamia clare patet quam magna adsit inter eos differentia. Ἱερὸς γάμος habet characterem individualement, Paulinus symbolismus matrimonii autem collectivum. Sponsa non est persona individualis sed Ecclesia tamquam societas. In mysteriis hellenisticis hierogamia non significabat unionem mysticam hominis cum Deo sed considerabatur tamquam magia sympathetica ad procurandam fertilitatem agrorum. Apud S. Paulum in doctrina de symbolismo coniugalis desunt vestigia cultus fertilitatis. Symbolismus coniugalis apud S. Paulum nihil aliud est ac viva expressio ideae caritatis (ἀγάπη) Christi-

¹¹¹ Cf. L. Cerfaux, *La Théologie de l'Eglise*, p. 263. S. Hanson, *The Unity of the Church in the N. Test.*, Uppsala 1946, p. 139.

¹¹² Art. cit., p. 1097 s.

¹¹³ Cf. E. Stauffer, γαμέω, in TWNT, I, 652. C. Chavasse, *The Bride of Christ*, London 1939, p. 51—58. H. A. A. Kennedy, *The New Testament metaphor of the messianic bridal*, „The Expositor”, Ser. 8. t. 1 (1916) 97 s. B. Reicke, *Neuzeitliche und Neutestamentliche Auffassung von Liebe und Ehe*, „Novum Testamentum”, 1 (1956) 29 nota 2.

Sponsi erga Ecclesiam-Sponsam ¹¹⁴. Cum hierogamia mysteriorum coniuncta erat rudis lascivia, erotismus effrenatus, prostitutio, sacralis et ritus obsceni. Hierogamia pagana vocari debet potius symbolismus sexualis quam symbolismus matrimonialis. Talis hierogamia non potest comparari cum Paulino symbolismo matrimoniali in quo nulla vestigia erotismi inveniuntur. Fundamentum Paulini symbolismi matrimonialis est divina, spiritualis ἀγάπη non naturalis Eros. Symbolismus coniugalis apud S. Paulum plane differt a hierogamia pagana et in nullo puncto ab ea dependet.

5. PERICULUM ECCLESIAE CONIUGIS

Paulus post descriptionem suae zelotypiae et functionis pronubi in matrimonio Christi cum Ecclesia indicat nunc causam principalem suae aemulationis. Zelotypia Jahve in populum electum convertebatur quando ille erat in periculo apostasiae. Apostolus etiam plenus est zelotypiae divinae, quia Ecclesia Corinthiaca in periculo infidelitatis invenitur.

a) Exegesis v. 3. Periculum Ecclesiae illustrat Paulus periculo Evae in Paradiso:

φοβοῦμαι δὲ μή πως,
ὡς ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν Εὔαν
ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ,
φθαρῆ τὰ νοήματα ὑμῶν
ἀπὸ τῆς ἀπλότητος τῆς εἰς χριστόν.

In descriptione seductionis Evae facit Paulus explicitas allusiones ad Gen (3, 1. 4. 13):

2 Cor 11, 3 ὡς ὁ ὄφις ἐξηπάτησεν Εὔαν ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ.

Gen. 3, 1: ὁ δὲ ὄφις ἦν φρονιμωτατος

Aq. et Th. legunt tamen... ἦν πανούργος...¹¹⁵

Paulus potuit prae oculis habere non versionem LXX, sed Aq. vel. Th. ¹¹⁶ quod confirmant etiam alia vocabula Pauli ex his ver-

¹¹⁴ Cf. V. Warnach, *Die Kirche im Epheserbrief* (Beitr. zur Kontroverst. I), Münster i. W. 1949, p. 29. C. Spicq, *Agapè dans le Nouveau Testament*, Paris 1958, p. 285—294.

¹¹⁵ Cf. F. Field, *Origenis Hexaplorum quae supersunt*, Oxonii 1875, t. I, p. 15.

¹¹⁶ Cf. L. Venard, *Citations de L'Ancien Testament dans le Nouveau Test.*, in *Suppl. Dict. de la Bible* II, 35.

sionibus desumpta. Expressio ἐξηπάτησεν Ἐδαν... est quasi verbaliter desumpta ex locutione Evae ad Deum: ὁ ὄφις ἠπάτησέν με (3, 14). Paulus ergo comparationem facit inter primam creationem et creationem novam, comparando Ecclesiam Sponsam cum Eva ¹¹⁷. Confrontatio illa non solum bene exprimit periculum Ecclesiae sed etiam pulchre continuat ideam symbolismi matrimonialis. Matrimonium enim Adae et Evae in paradiso typum est connubii Christi et Ecclesiae. Sicut Adam erat typus Christi (Rm 5, 14; 1 Cor 15, 22 s.) ita etiam Eva „mater viventium” typus est Ecclesiae ¹¹⁸. Eva despondetur in paradiso primo Adamo similiter etiam altera Eva — Ecclesia despondetur secundo Adamo-Christo. Sed sicut prima Eva tentabatur a serpente ita etiam nova Eva tentatur a falsis apostolis ministris diaboli (2 Cor 11, 15). Ὁ ὄφις designat hic pseudo-apostolos, qui similiter ut serpens in paradiso tentant Corinthios. Pseudoapostoli volunt pravis doctrinis seducere et corrumpere (φθορῆ) intellectus (νοήματα) Corinthiorum et abducere eos a simplicitate et sinceritate (ἀπλότητος) i. e. a sincera fide erga Christum. Tertium ergo comparationis est analogia in callida tentatione et seductione ¹¹⁹. Per illam comparationem illustravit Paulus inoboedientiam Evae erga praecepta Dei et monitum dedit Corinthiis, ne ipsi similiter facerent.

b) Problema influxus hagadae rabbinicae. Secundum aliquos exegetas acatholicos punctum comparationis non est tantum tentatio et seductio Evae ad inoboedientiam erga praecepta divina sed peccatum sexuelle cum serpente, de quo non est sermo in Gen. Versus 3 — iuxta opinionem Lietzmann — in tali suppositione bene intelligi potest ¹²⁰. Paulus secundum eos dependet in hoc loco a legenda iudaica de peccato luxuriae Evae cum serpente per quod amisit suam castitatem. Dependenciam Pauli ab illa narratione iudaica accipiunt etiam Windisch ¹²¹ et Kümmel ¹²² sed

¹¹⁷ Cf. A. M. Dubarle, *Les Fondements bibliques du titre marial de Nouvelle Eve*, „Recherches de Sc. Rel.”, 29 (1951) 52. L. Cerfaux, *La Théologie de l'Eglise*, p. 262.

¹¹⁸ Cf. R. Cornely, op. cit., p. 282. L. Cerfaux, *Le Christ*, Paris 1954², p. 263.

¹¹⁹ Cf. F. G. Gutjahr, op. cit., p. 725. Ph. Bachmann, op. cit., p. 361.

¹²⁰ Op. cit., p. 145. D. Wendland, op. cit., p. 209. H. J. Schoeps, *Paulus. Die Theologie des Apostels im Lichte der jüdischen Religionsgeschichte*, Tübingen 1954, p. 29.

¹²¹ Op. cit., p. 323.

¹²² Op. cit., p. 209.

iam cum aliqua restrictione: Windisch censet comparationem cum seductione Evae a satana ex testimonio Gen 3, lss. bene intelligi posse. Probabiliorem tamen putat sententiam secundum quam Paulus ad hagadam iudaicam alludit. Secundum Kümmel autem, qui etiam accipit influxum mythi, Paulus non applicat hoc Ecclesiae Corinthiacae, sed tantum ope illius mythi vult accurate describere periculum apostasiae.

Textus iudaici in quibus invenitur illa legenda ad 3 genera reduci possunt:

1 — Antiquissima allusio ad illum mythum — secundum Windisch invenitur in IV Mc 18, 7: Ἐγὼ ἐγενήθην παρθένος ἀγνή.. οὐδὲ ἔφθειρέν με λυμεὼν ἐρηνίας φθορεὺς ἐν πεδίῳ, οὐδὲ ἐλνμήνατὸ μου τὰ ἀγνὰ τῆς παρθενίας λυμεὼν ἀπάτης ὄφης.

In textu inveniuntur revera evidentes similitudines philologicae cum 2 Cor. 11, 2—3 e. gr: τὰ ἀγνὰ τῆς παρθενίας, ἔφθειρέν, ἀπάτης, ὄφης παρθένος ἀγνή, sed in concreta comparatione cum textu Paulino adsunt non paucae difficultates. Chronologia¹²³ libri enim non est certa et possibiles sunt etiam interpolationes christianae. Secundum J. Freudenthal¹²⁴ secundus sermo matris 18, 6—10 provenit ex tempore posteriore et pertinet ad insertionem christianam, de quo testantur citationes ex N. Testamento et praecise ex 2 Cor 11, 2. In IV Mc 18, 7 ne ulla quidem mentio est Evae, sed mulier de qua agitur est mater filiorum Machabeorum. Ὅφης de quo sermo est — ut constat ex contextus — non significat diabolum sed virum dolosum¹²⁵. In IV Mc 18, 7 sunt clare allusiones ad textus legales V. Testamenti (Dt 22, 25; Ex 21, 15) ubi sermo est de violatione puellae desponsatae et de seductione virginis non desponsatae. Mater ergo voluit tantum dicere filiis suis se honestam castamque vitam egisse¹²⁶. Improbabile ergo videtur Paulum ab hoc textu inspiratum fuisse.

2 — Secundum genus textuum invenitur in apocalyptica iu-

¹²³ Secundum S. Székely paulo ante Chr. vel I s. p. Chr., M. Hades 37—41 p. Chr., Deissmann 63 a. Chr., Bonsirven I saec. p. Chr., Frey I saec. p. Chr., Dupont — Sommer II saec. p. Chr.

¹²⁴ *Die Flavius Josephus beigelegte Schrift über die Herrschaft der Vernunft*, Breslau 1868, p. 156.

¹²⁵ Cf. S. Székely, *Bibliotheca Apocrypha*, Freiburg i. B. 1913, p. 451.

¹²⁶ Cf. A. Deissmann, *Das vierte Makkabäerbuch* (Kautzsch, *Die Apokryphen*, II), p. 175 s.

daica. Secundum Kümmel ¹²⁷ textus illi antiquiores sunt textibus rabbinicis.

a) In aethiopico libro Henoch 69, 6 invenitur phrasis: „Tertius (angelus) vocatur Gadreel; i. e. ille qui hominibus instrumenta necis ostendit et Evam seduxit.” De hoc textu ipse Kümmel ¹²⁸ dubitat. Textus invenitur in secunda parte libri i. e. in Parabolis. Chronologia huius partis non est certa (saec. I a Chr. — II p. Chr.). Tardiorum aetatem libri Paraboliarum videntur etiam confirmare manuscripti qumranici. In grota 4 Q inventi sunt 10 mns. fragmentarii libri Henoch cum textibus ex omnibus partibus libri excepto libro Paraboliarum. Secundum opinionem J. T. Milik ¹²⁹ librum Henoch non existebat in periodo praechristiano in illa forma quam praebent nobis versiones antiquae. Forma hodierna libri provenit ex compilatione iudeo — christiana II saec. Probabiliter ergo liber Paraboliarum ad hoc tempus pertinet. In textu ipso non est sermo de serpente sed de angelo malo. „Seductio” Evae ab angelo non necessario intelligi debet sensu sexuali sed de quocumque peccato ¹³⁰.

b) Secundum Kümmel idea seductionis Evae ad adulterium certe invenitur in apocalypsi Abrahae (23): „Vide, quis est ille, qui Evam seduxit.” Compositio tamen II-ae partis libri (IX—XXX) probabilissime posterior est epistola II Cor. Terminus a quo est finis saec. I p. Chr. In hac parte adsunt etiam insertiones christiana. Secundum J. Felten ¹³¹ opus est christiano — gnosticum cum fundamento iudaico, secundum Bardenhewer ¹³² provenit ex saec. II p. Chr. In contextu c. 23 allusio est ad librum Gen. scilicet ad descriptionem lapsus protoparentum, seductio ergo Evae sumenda est sensu biblico i. e. sine ulla allusione ad peccatum sexuale cum serpente.

c) In slavico libro Henoch 31, 6 invenitur phrasis: „At diabolus — spiritus malus infimi loci, qui relicto caelo satanas factus est, antea Satanael vocatus, seduxit Evam.” Liber provenit ex

¹²⁷ Op. cit., p. 209.

¹²⁸ *Sie begegnet vielleicht schon Apk Hen 69, 6., op. cit., p. 209.*

¹²⁹ *Dieci anni di scoperte nel deserto di Giuda, Torino 1957², p. 24 s.*

¹³⁰ Etiam interpretes valde generice vertunt illud verbum: R. H. Charles „and he led astray Eve”, *Book of Enoch (The Apocrypha, II 23)*. „C'est lui qui séduisit Eve”, Martin, *Le Livre d'Hénoch*, Paris 1906, p. 151.

¹³¹ *Neutestamentliche Zeitgeschichte*, Regensburg 1925, p. 614.

¹³² *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, Freiburg i. B. 1914, t. II, p. 706.

I saec. p. Chr. In toto capitulo 31 in multis locis clara allusio est ad librum Gen. (2, 8; 3, 17. 19; 3, 6)¹³³ Cap. 31 est breve commentarium relationis Gen. de lapsu protoparentum. Seductio ergo Evae sumenda est stricte sensu biblico, ubi ne minima quidem mentio est de peccato sexuali Evae. Opinio ergo Kümmel¹³⁴ non videtur solide fundata. Textus apocalyptici non praebent nobis ideam omnino certam de seductione Evae a serpente ad peccatum sexuelle. Consideratis etiam difficultatibus chronologicis, concludi potest nullum influxum horum textuum in 2 Cor. 11, 3 probabilem esse.

3 — Multi textus, qui clare de peccato sexuali Evae cum serpente tractant, inveniuntur in scriptis rabbinicis praesertim in Talmud. Licet citare aliqua exempla magis characteristica:

Jabamuth 103^b: „Ita dixit R. Johanan: Quando serpens cum Eva concubuerat spuricitia infecit eam”¹³⁵.

Beresit Rabba (18)¹³⁶: „R. Josua ben Karcha dixit: Quando serpens vidit sicut illi copula matrimoniali occupati erant, Evam concupivit”.

Sota (18)¹³⁷: „Tu dixisti, ego occidam Adamum et despondebo Evam”. Textus illi sunt sat tardivae aetatis et videtur quod rabbini non solum propugnatores sed etiam inventores huius doctrinae fuerant. Notatu dignum est quod in apocrypho iudaico „Vita Adae et Evae” ex I saec. p. Chr., ubi per longum et latum lapsus protoparentum describitur nulla mentio est de concubitu Evae cum serpente¹³⁸. Probabiliter ergo idea illa posteriore tempore divulgata erat. Seductio Evae a serpente ad peccatum sexuelle — sicut recte notat Bachmann¹³⁹ — est idea marginalis etiam in ipso iudaismo. Essentia lapsus etiam in theologia rabbinica constitit in inoboedientia erga praeceptum divinum. Improbabile ergo videtur Paulum in 2 Cor. 11, 3 ab illa idea dependere.

¹³³ Cf. G. N. Bonwetsch, *Die Bücher der Geheimnisse Henochs*, Leipzig 1922, p. 29 s.

¹³⁴ Op. cit., p. 209 s.

¹³⁵ L. Goldschmid, *Der Babylonische Talmud*, Berlin 1931, t. IV, p. 683.

¹³⁶ Cf. versionem A. Wünsche, op. cit., Leipzig 1881, p. 81.

¹³⁷ Textus apud J. Bonsirven, *Textes rabbiniques.*, Roma 1955, p. 1487.

¹³⁸ Cf. E. B. Allo, op. cit., p. 277. Ph. Bachmann, op. cit., p. 361.

¹³⁹ Ibidem, p. 361.

Et revera accurata analysis v. 3 excludit quamcumque dependentiam Pauli a legenda rabbinica. Clavis ad solutionem problematis invenitur in ipso textu nempe citata ex libro Gen. (3, 1. 4. 13) quae indicant unde Paulus hauserit suam ideam. Descriptio seductionis Evae in v. 3 philologice et theologice provenit ex Gen. 3., non autem ex hagada rabbinica. Seductio ergo Evae sensu biblico sumenda est scilicet de infidelitate et inoboedientia erga praecepta divina. Versus ergo 3 bene intelligitur in luce libri Genesis c. 3 Comparatio cum Ecclesia Corinthiaca in hac suppositione etiam clara fit: Paulus enim ut patet ex contextu comparat situationem Evae situationi Ecclesiae Corinthiacaе i. e. tentationem Evae a serpente cum tentatione Ecclesiae Corinthiacaе a falsis apostolis. Verba ἐξηπάτησεν et φθαρῆ primo intuitu possent intelligi sensu sexuali, sed sensus ille non est unicus et primarius istorum verborum. Ἐξηπάτησεν ex radice ἀπατάω¹⁴⁰ primario significat: fallere, decipere: „nemo vos decipiat (ἀπατάω) inanibus verbis” (Eph 5, 6). Verbum ἀπατάω significat „seduci” sensu generico ad quodcumque peccatum non necessario ad peccatum luxuriae. In hoc sensu dicitur de Adamo 1 Tm 2, 14. In coniunctione cum Eva praeter nostrum locum adhibetur nondum in Gn. 3, 14; ut patet ex contextu non sensu sexuali. Locus vere parallelus est 1 Tm 2, 14, ubi verbum hoc praedicatur tam de Adamo quam de Eva et in stricto parallelismo inter se. Parallelismus ille cum seductione Adae et contextus testantur quod radix ἀπατάω in hoc loco etiam non significat „seduci” ad peccatum sexuelle. Ἐξαπατηθεῖσα in 1 Tm 2, 14 coniungitur cum ἐν παραβάσει quod accuratius describit essentiam illius seductionis, agitur nempe de violatione et transgressione praecepti Dei in paradiso dati. Paulus ergo — ut recte notat Foerster¹⁴¹ voluit tantum indicare inclinationem Evae ad credentium in callida argumenta. Ergo etiam in nostro loco radix ἀπατάω non sensu sexuali interpretandum est. Similiter etiam radix φθείρω significat: laedo, pessumdo ex. gr. aedificium laedo aut perdo (1 Cor. 3, 17). F. Zorell¹⁴² hanc significationem metaphorico sensu applicat nostro versui: „ecclesiam Corinthiacam pravis doctrinis corrumpo”. Utitur tamen etiam sensu ethico:

¹⁴⁰ F. Zorell, *Lexicon Graecum.*, p. 136.

¹⁴¹ Art. cit., p. 580.

¹⁴² *Lexicon Graecum.*, p. 1398.

pravis doctrinis fallo. mores alcs. depravo. Ad hoc genus numerari etiam debent sequentes significationes: seducere, violare virginitatem, ad peccatum luxuriae adducere ¹⁴³. In 2 Cor 11, 3 hic sensus ultimus impossibilis est ratione contextus proximi: subiectum enim verbi φθείρειν sunt νοήματα. ¹⁴⁴ Recte ergo omnes catholici et aliqui ex acatholicis reiciunt dependentiam Pauli a legenda rabbinica ¹⁴⁵.

*

Pericope 2 Cor. 11, 2—3 praesentat nobis sub imagine matrimonii praesertim ideam unitatis Ecclesiae, unitatis imprimis Ecclesiae-Sponsae cum Christo — Sponso et etiam membrorum Ecclesiae intra se, quia omnes unam Sponsam constituunt. Fundamentum et vinculum huius unitatis est caritas, similiter ac in matrimonio christiano. Unitas illa incipitur in baptismo et perfectam suam formam obtinebit in vita futura. Imago Ecclesiae Sponsae ex una parte indicat strictam coniunctionem et unitatem, ex altera autem ostendit quod non agitur de unitate phisica in sensu absolutae identitatis. Unitas illa similiter ac in matrimonio non destruit libertatem personalem et distinctionem propriam partium.

Fons paulinae doctrinae de symbolismo matrimoniali est V. Testamentum in sua forma graeca et probabiliter etiam iudaismus et traditio synoptica. Paulus tamen praesentat illam doctrinam in lingua christiana, applicando eam novae oeconomiae salutis ope revelationis et propriae reflexionis. In doctrina Pauli de symbolismo matrimoniali in 2 Cor. 11, 2—3 nullus adest influxus hierogamiae paganae et legendae rabbinicae.

¹⁴³ Exempla cf. apud W. Bauer, op. cit., p. 1695.

¹⁴⁴ Cf. W. Foerster, art. cit., p. 580. G. Dellinger, art. cit., p. 835 nota 75. Ph. Bachmann, op. cit., p. 360.

¹⁴⁵ Praeter Foerster et Bachmann. Cf. etiam E. C. H. Lenski, op. cit., p. 1239.